



**Cosmographiae universalis, ex probatis quibusque autoribus,
tam historicis quam chorographis per Sebastianum
Munsterum in unum collectae. Liber I. De primordiali terrae &
maris creatione & dispositione. Caput I.**

<https://hdl.handle.net/1874/430389>

COSMOGRA- PHIAE VNIVERSA-

LIS, EX PROBATAIS QVIBVSQ'VE AVTO-


RIBVS, TAM HISTORICIS QVA'M CHOROGRAPHIS,

per Sebastianum Munsterum in unum col-

lectæ. LIBER I.

De primordiali terræ & maris creatione

& dispositione. CAPVT I.



ABENT sacrae literæ terram ab initio formationis undique obductam & inclusam fuisse aquis maris, donec iussu creatoris aqua ab aliqua parte superficiei terræ subducta, siccum & cōnodum mansionis locum hominibus atq; animalibus terrestribus reliquit, plantis quoq; unde omnia uidentia uictitant, firmum in ipsa arida adaptaretur fundamentum. Mare ergo ab illa die non obtinet naturalem suum situm, sed quantum terra est discooperta, tantum illud in oppositam terrenæ molis partem semotum, profunditatem illam cōduplicauit, quam Oceanū uocant, sacre autē literæ appellant תַּיִם אַבְיִסָא

Ad est, abyssum magnam, ubi scilicet immensa est collectio aquarū atq; profunditas im- Oceanus abys-
sus magna.
perscrutabilis, qualis passim ultra Hispaniam, Iberniam, Scottiam, extremitatem Africæ
& in India inuenitur, ubi profunditas maris nulla industria humana indagari potest. Si-
enim iuxta philosophorum traditionem, elemētum unum aliud excedit in decuplo, ne

A dum

Blank
DIV-5

dum in perspicuitate & raritate, uerùm & magnitudine ipsa, terra autem ipsa in sua circumferentia complectitur 5400. miliaria Germanica, quindecim miliaribus uni respondentibus gradui, uide quàm magnum fuerit mare, ubi adhuc naturalem tenuit situm, quando superficies eius concava coniuncta fuit superficiei conuexæ terræ, superficies autem eius conuexa longissimè supra terram sese insinuabat superficiei concavæ aëris, & nunc tota moles illa in unam abyssum coacta sit, & quæ prius undique terram sua magnitudine excedebat, nunc in unum collecta locum, quantum putas fecerit acerrimum, seu ut hebraismus uocat מַבּוּל aquarum. Produunt sacræ literæ, diluuij aquas ascendisse quindecim cubitis supra montes quosque, non quòd naturalem tunc obtinuerint situm & oppleuerint locum, sed tantisper à creatore permissæ fuerunt, ut redirent in natuum locum, quousq; impij homines & cuncta animalia, propter homines creata, delerentur è terra. Constat autem quosdam montes eleuari in mediam regionem aëris, id quod nix perpetuo fastigijs eorù insidès probat & in diluuiò aquæ adhuc multò sublimiores fuerunt, ne quisquam mortalium ullum sub cœlis inueniret effugium: at natuum situm nõ obtinuerunt, quòd terra denuo esset habitanda, & hominibus atq; animalibus replenda.

DE MARIS DIVISIONE ET FLUVIO-

rum exortu. Cap. II.

QUum scriptura dicat diluuij aquas creuisse & uehementer inualuisse super terram, arcam quoque fluitasse in superficie aquarum, & tandem dominum Deum transulisse uentum super ipsam inundationem terræ, ut aquæ eius flatu reuenterentur de terra, quousque illa exiccaretur, non est dubium quin ille aquarum impetùs, fluxus & refluxus multas fecerit in terra cauernas, hiatus & sinus, & ubi ante diluuium nullum fuit mare, iam nouum ortum sit mare, sicut & eadem ratione per discurretes aquas multi noui montes & ualles oborti sunt, ubi prius plana fuit terra, id quod multis indicijs probari posset, quod etiam suo loco infra non tacebimus. Quin & multi magni fluuij, quales sunt Rhenus, Danubius, Rodanus & alij pro maiori parte in diluuiò originem acceperunt, quãdo fontes abyssi magnæ aperti sunt, prouidente Deo sic homini, ut qui spargendus erat per uniuersam terram, homo homini & regio regioni per fluuiorum decursus mutuam sibi opem ferre possent. Sciendum præterea mare illud magnum, quod ambit circumferentiam terræ, uocari generali nomine Oceanus. Curuitates uerò & arcus & littorales, quos mare olim fecit, uel etiam hodie facit in terra, uocantur sinus. & hi accipiunt denominationem à terris illis quas alluunt, ut est sinus Adriaticus, sinus Persicus, sinus Arabicus, sinus Indicus & similes alij. At mare illud magnum quod Africã determinat ab Europa, uocatur mare Mediterraneum, quod scilicet apud Hispanos in occidentem tenui meatu irrupit in mediam terram, at paulo post incipit se diffundere, ut è regione Galliarum Narbonensis latissimum habeat alueum, id quod suo loco quoq; dicturus sum. Est & aliud mare in Asia, quod omni ex parte continenti circumscribitur, atq; ob id nõ effunditur in aliud mare, nec ab alio mare sustentatur, sed exoneratur in ipsam plurimi amnes, uocaturq; Hyrcanum & Caspium mare. De mari Rubro non nihil dicã, ubi uenero ad locum illum. Cæterum mare quod subiacet polo arctico, & item quod subest polo Antarcticò, appellatur communiter mare congelatum, eo quòd perpetuis temporibus ob solis distantiam & radios æstiuo tempore obliquè incidentes congelatum sit, neq; ibi nauigationes fieri queant, nec cõueniens hominũ habitatio sit. Et ut hæc omnia dilucidè intelligas, accipiẽda est tibi in manus tabula uniuersalis mudi descriptionis, quæ ob oculos posita, singula commõstrat, terræ marisq; uariam habitudinẽ. Vides ibi quomodo Oceanus infusus in multos sinus, ad eò uicino accessu interna maria allatrat, ut 115. millibus passuum Arabicus sinus distet ab Aegyptio mari: Caspius uerò 375. millibus à Pontico. Idem interfusus intrat per tot maria quibus Africã, Europã, Asiamq; dispartit. Quantum terrarum occupet, cõputetur etiam nunc mensura tot fluminum, tantarum paludum, addantur lacus & stagna. Et hæc habitatione hominũ omnia destituuntur, ut taceamus terram in plerisque locis in cœlum usq; elatã, habere tot ardua aspectu iuga, tot syluas uallesq; præruptas, & solitudines, & mille ex causis alia deserta loca, & tamẽ hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes: hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus, hic instauramus bella etiam ciuilia, et mutuis cadibus laxiorem facimus terram, ut ad horam latum habeamus imperium, ò demetia.

Montes unde.

Sinus maris.

Mare mediterraneum.

Mare Caspiu.